

R. D. M. Prædefinitio formalis actus boni est simpliciter absoluta volitio actus ut finis N. est absoluta et simul conditionata volitio actus ut finis C. Dupliciter potest actus bonus prædefiniri: 1^o. per modum puræ intentionis et simpliciter absolute, quod fit si Deus, postquam etiam vidit media quibus voluntas est consensura, absolute decernat talem actum, nihil cogitando de mediis, ad quorum electionem postmodum progrediatur ex vi hujus intentionis: hæc prædefinitio, quamvis sequatur scientiam mediam, tamen ab ea non pendet et regulatur; consequenter non est in hominis potestate, et cum absoluta sit, inducit necessitatem. 2^o. Potest prædefiniri per modum intentionis mixtæ, ut nempe actus ille sit quidem absolute et efficaciter; sed per hæc media, sive si hæc media illum actum producant et ponantur; quod fit si Deus decernat talem actum simul et media, per quæ vidit hunc actum libere futurum: atque hæc sicut a scientia media pendet ac regulatur, sic et cum libertate humana componitur, et a nobis hic asseritur. Præterea non sequitur aliqua prioritas existentiae aut independentiæ ab alia voluntate, sed tantum *motivi*; nam qui eligit media propter finem, habet se sicut qui amat objectum propter motivum: hic autem dicitur etiam prius aliquo modo amare motivum, non quod aliquod rationis signum sit in quo intelligatur amare motivum sine objecto, sed quod motivum sit ratio amandi objectum, et sic intelligatur tantum *prioritas rationis a quo*. Hoc vero etiam magis tenet, ubi quis vult finem et media simul, vel finem per hoc medium et non aliter.

Inst. 3. Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax, ita ut, si hoc auxilium non prævideretur efficax, aliud daret: sed per hoc ostenditur Deum intendere prius actum ut finem, et postea modo seligere auxilium quod investigaverit fore efficax; ergo. *Conf.* Si Deus per prædefinitionem non intenderet prius actum bonum, intenderet eum in auxilio tanquam in causa: sed sic foret prædefinitio tantum *virtualis*, non autem formalis; ergo.

R. D. M. Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax secundum quid C. qua simpliciter efficax N. Auxilium efficax dicitur dari qua *simpliciter* efficax, quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, ex omnibus possibilibus auxiliis seligeretur aliud efficax, seu daretur semper aliud, usque dum aliquod esset efficax; ex hac autem sic dantis comparatione, intelligitur actum intendi seorsim a mediis, non autem cum medio aut per medium certum, adeoque nec dependentem a scientia media: unde in nostro systemate locum non habet, præsertim cum per auxilium ejusmodi tolli libertatem humanam necesse foret. Dicitur autem dari qua efficax *secundum quid*, quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, daretur aliud ex certis, v. g. decem, certæ speciei vel qualitatis auxiliis, quod per scientiam mediam Deus jam prævidet futurum efficax; in qua explicandi methodo retinetur dependentia a scientia media et intentio finis per hoc vel illud determinatum medium.

Ad Conf. R. Tr. M. N. min. Nam prædefinitio *virtualis* vel dicit solam complacentiam circa actum, non vero absolutam et efficacem intentionem actus, vel virtualement duntaxat, non autem formalem volitionem; quamvis autem Deus actum intendat in auxilio tanquam in causa, tamen imprimis

non habet simplicem complacentiam de actu: deinde nec habet duntaxat virtualement volitionem actus; cum per hoc auxilium explicite et formaliter velit actum. Atque hæc de actibus salutaribus maxime prædestinatorum dicta sunt.

CAPUT III.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA ELECTOS.

ARTICULUS I.

AN VERA EX PARTE DEI DETUR PRÆDESTINATIO?

212. *Nota.* Prædestinatio *adæquate* sumpta definiri potest: præscientia et decretum, quo Deus ab æterno efficaciter statuit, hominibus aliquibus providere de largiendis gratiis in hac vita, et de assecutione regni cœlorum in altera. Hanc dari negarunt tum ii, qui inficiati sunt Dei providentiam; tum *Pelagiani* et *Semipelagiani*, qui inde libertatem nostram perire, hominesque vel in socordiam vel desperationem induci rebantur. *Ambrosius Catharinus* insignis ex Ord. Præd. Theologus duplicem salvandorum statuit ordinem; 1^{um}. eximie sanctorum, Deiparæ nimirum, Apostolorum aliorumque virtutibus et miraculis celebrium; et hos prædestinatos vocat: 2^{um}. eorum qui minoris quidem meriti et perfectionis sunt, sed tamen regni cœlorum fiunt participes; et hos negat dicendos prædestinatos: præterea in prædestinationis vocabulo particulam *præ* vult importare prioritatem dignitatis et meritorum excellentiam, non autem temporis. Ob hæc censuerunt Theologi plures, negatam a *Catharino* esse prædestinationem, tum quantum illa significat decretum æternum, tum quantum significat prædilectionem et electionem; adeo ut non soli prædestinati salutem æternam consequantur, sed etiam alii, quos quidem Deus præscivit, non tamen singulariter ordinavit ad merita et præmium æternum: alii vero negant hanc esse genuinam *Catharini* doctrinam, voluntque ab eo duplicem duntaxat prædestinationis modum assertum: unum quidem *ante* prævisa merita per infallibilia et specialiter provisa gratiæ auxilia, et sub hoc primum illum ordinem contineri; alterum *post* prævisa merita ex auxilio quidem gratiæ sed generali et omnibus communi.

213. *Dico I.* Datur vera prædestinatio, eaque non dignitatis tantum, sed et temporis præminentiam denotans.

Prob. 1^a. p. Luc. 12. 32. Christus inquit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et *Matth. 20. 23.* *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* *Apost. ad Rom. 8. 30.* *Quos prædestinavit, hos et vocavit,*

etc. S. AUG. L. de don. persev. c. 21. n. 36. ait : *Nimie contentio est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.* S. PROSP. in resp. ad 1^{am}. object. Gal. *Prædestinationem Dei nullus Catholicus Christianus negat.* S. FULGENT. L. de Incarn. et gr. (al. ep. 17.) c. ult. n. 67. *Deus, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit.* etc.

Prob. 2^a. p. Matth. 23. 34. dicitur : *Possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* S. AUG. L. de don. pers. c. 17. n. 41. *Ista sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, et in sua præscientia præparavit.* S. FULG. L. de fid. c. 35. n. 76. *Firmissime tene et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo etc.*

Conf. utr. p. Prædestinatio est propositum voluntatis divinæ creaturam rationalem ad æternam vitam eligentis : sed hoc reipsa datur, cum de fide sit multos reipsa a Deo in hanc vitam assumi : præterea etiam illud est æternum; tum quia est actus divinus, tum quia Deus nihil operatur in tempore quod ab æterno non præordinaverit faciendum; ergo.

214. Dico II. Datur singularis Dei providentia et dilectio circa prædestinatos omnes.

Prob. Sap. 4. 10. dicitur. *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est : raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus etc.* Ibid. 10. 17. *Deus reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili.* Matth. 24. 22. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Joan. 17. 9. *Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Ad Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit etc.* S. AUG. L. de Corr. et gr. c. 7. n. 13. inquit : *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt; et in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant correpti emendantur.* etc. Unde falsa apparet doctrina illa de duplici ordine, quomodocumque explicata; eo quod in posteriori ordine non haberetur ulla ex parte prædilectio : non enim ex parte finis; cum Deus æqualiter vitam æternam omnibus vellet et infunderet : nec ex parte mediæ; quia non nisi generalia et omnibus communia salutis assequendæ media concederet hujusmodi salvandis : neque alia ex parte quid assignari potest.

215. Dico III. Soli prædestinati consequuntur vitam æternam.

Prob. Matth. 22. narrata parabola de invitatis ad nuptias, inter quos plures ob negligentiam vel injurias servis illatas vita et fortunis muletati sunt, alius autem ob defectum vestis nuptialis missus in tenebras exteriores, Christus applicationis more subjungit hæc verba : *multi enim sunt vocati,*

pauci vero electi; ergo electi soli gloriam consequuntur, non electi reprobantur. Item Matth. 24. ubi de aliis assumendis, aliis relinquendis loquitur; illos vocat *electos*, neque inter hos ac reprobos statuendi medios quosdam locum vel suspicionem relinquit : Denique Matth. 23. rursus duplicem tantum salvandorum scilicet ac damnandorum ordinem statuit, et illis quidem dicendum ait : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* ergo prædestinatos duntaxat salvandos manifestum est : unde S. FULGENT. L. de fid. c. 35. inquit : *Firmissime tene et nullatenus dubites... neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum colorum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari :* et S. AUG. postquam prædestinationis definitionem L. de don. pers. c. 14. n. 35. dederat, concludit (ib. c. 17. n. 47) tam necessariam esse prædestinationem, quam est necessaria scientia : *hæc, ait, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo : præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.*

Accedit, quod nullus effectus aliquando eveniat, nisi cum Deus ab æterno voluntate sua præparaverit; et nulla res suum finem consequatur, nisi per divinam providentiam illi accommodatam; ergo multo minus eveniet cuiusdam salutis, aut finis supernaturalis obtinebitur sine prædestinatione, quæ est accommodata præparatio et providentia.

216. Obj. cont. 1^{am}. Matth. 23. dicuntur tantum prædestinati a constitutione mundi; ergo non ab æterno. Conf. 1. Vocatio, justificatio et glorificatio, licet sint actus divini, sunt tamen in tempore; ergo et prædestinatio; præsertim cum Apostolus hæc ad Rom. c. 8. conjungat. — 2. Prædestinatio est pars providentiæ : sed providentia non est æterna sed temporalis; quia est posterior creatione, cum juxta NEMESIUM L. de nat. hom. c. 42. rebus jam creatis consulat; ergo.

R. N. Cons. Textus Apostoli ad Ephes. ostendit prædestinationem etiam ante mundi constitutionem esse, et interpretatio S. AUG. Tr. 103. n. 7. in Joan. ipsa objectionis verba exponit per hæc : *ante mundum et ante omnia tempora.*

Ad Conf. 1^{am}. R. N. Cons. Disparitas est, quia præscientia, prædestinatio, propositum, electio et cætera hujusmodi sunt actiones immanentes, et dicuntur relative ad intellectum ac voluntatem divinam : vocatio autem, justificatio et glorificatio sunt actiones transeuntes, et dicuntur connotative ad effectum in tempore productum.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. m. Providentia in arte, seu ratio agendorum præconcepta et propositum agendorum, non est æterna N. providentia in usu et exercitio, seu ipsa executio non est æterna C. Ad postremam autem videtur respexisse NEMESIUS.

217. Obj. cont. 2^{am}. Sap. 6. dicitur de Deo : *Æqualiter est ei cura de omnibus;* ergo non datur singularis providentia et dilectio Dei circa prædestinatos; præsertim quia sicut Deus nequit dici quædam scire aut velle magis quam alia, sic neque dici debet quosdam magis diligere quam alios. Conf. 1. Juxta ep. 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri;* ergo nec quoad salutem hominum datur Deo dilectio unius præ altero. 2^o. DIONYS. L. de div,

nom. c. 4. §. 1. ait : *quemadmodum sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quoquomodo lucis ejus sunt capacia: sic ipsum Bonum... ipsamet substantia sua, rebus omnibus, pro cujusque captu, totius bonitatis suæ radios affundit; ergo.*

R. D. A. Deo æqualiter effective est cura de omnibus, h. e. æquale bonum sive naturæ sive gratiæ vult et procurat omnibus N. æqualiter affective, quantum præcise attinet actum intellectus et voluntatis, qui in Deo est unicus C. S. THOMAS p. 1. q. 20. a. 3. ad 1. ait : *Dicitur Deo æqualiter esse cura de omnibus, non quod æqualia bona sua cura omnibus dispenset, sed quia ex æquali sapientia et bonitate omnia administrat. Cæterum distinctio amoris divini constat ex S. AUG., qui Tr. 110. n. 6. in Joan. inquit : cum eorum quæ fecit (Deus) nihil oderit, quis digne possit eloqui, quantum diligat membræ Unigeniti sui; et quanto amplius ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia et invisibilia, quæ in suis generibus ordinata ordinalissime diligit.*

Ad prob. Disparitas est ex D. THOM. ibid. ad 3.; quia intelligere et velle significant solum actus, nec in significatione sua includunt objecta, quorum diversitate possit dici Deus magis vel minus scire aut velle: amor autem Dei duplici modo sumi potest, scilicet vel ex parte ipsius actus voluntatis; et sic Deus non magis amat quædam aliis, quia omnia amat uno et simplici voluntatis actu: vel ex parte boni, quod quis amato vult; et sic Deus magis amat prædestinatos.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Deus antecedenter vult omnes salvos fieri C. vult consequenter N. Dilectio autem ista major sicut prædestinatio, ad voluntatem Dei consequentem pertinet.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Sicut sol lumen, ita Deus suam bonitatem communicat in providentia generali et communi C. in speciali N. Ita S. THOM. p. 1. q. 23. a. 4. ad 1.

218. Obj. cont. 3^{am}. Ad hoc ut quis actu salutem consequatur, prædestinatio proprie dicta non est necessaria; cum alias qui non sunt prædestinati non haberent ex parte Dei omnia necessaria ad salutem, nec possent salvari; ergo imprimis possunt salvari non prædestinati. Deinde reipsa neminem salvari nisi prædestinatum, neque est expresse revelatum, neque etiam colligitur ex effectibus; cum potius multi videantur salvari cum sola communi et ordinaria providentia gratiæ; ergo. Conf. 1. Angeli sancti translati sunt ad vitam æternam sine prædestinatione; ergo et homines non prædestinati salvantur. Conf. 2. Matth. 22. habetur: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi*, h. e. postremum locum tenebunt qui vocati sunt et non electi, alter eorum qui vocati simul et electi sunt.

R. 1^o. Ad 1^{am}. D. A. Prædestinatio proprie talis non est necessaria per se absolute ac simpliciter C. non est necessaria ex parte Dei ad convenientem vel perfectum operandi ac intendendi modum N.

R. 2^o. Tr. totum, quia assertio nostra non est de possibili nec de providentia alia, sed de facto et providentia præsentis.

Quoad. 2^{am}. R. 1^o. Quamvis non sit expresse revelatum, et hinc non dica-

tur esse de fide; colligitur tamen ex revelatis, multumque in sacra Scriptura et traditione insinuat.

R. 2^o. N. 2^{am}. p.; quia ex modo providentiæ Dei erga prædestinatos exposito hic actus satis probabiliter colligitur.

Ad Conf. 1^{am}. T. A. N. Cons. Qui primum admittunt, fundamentum desumunt ex S. AUG., qui L. de Corr. et gr. c. 11. *angelos* dicit solum indigere adjutorio sine quo non, hominem autem adjutorio quo; de quibus vid. Tr. de gratia: nullum autem plane fundamentum est pro alia parte.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Cons. Nomine primorum non intelliguntur vocati simul et electi, nec nomine novissimorum vocati tantum sed non electi: sed si sub parabola vineæ et operariorum proponatur Ecclesia, primis Judæi, novissimis gentiles correspondent, ex quibus hi Apostolica prædicatione invitati ad Ecclesiam accesserunt, illis tardantibus vel reuuentibus: si autem admittatur figuratum hic esse regnum cælorum alterius vitæ, primi et novissimi intelligi cum ESIO possunt respectu hominum et Dei, ita ut sensus sit: multi qui judicio hominum videntur primi, quales habentur divites, nobiles, et gloria seculari insignes, erunt novissimi judicio Dei: e contrario multi qui hominum judicio novissimi videntur, ut pauperes, humiles et persecutionem propter justitiam patientes, primi erunt judicio Dei.

ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO PRÆDESTINATIO SIT CERTA?

219. Dico I. Prædestinatio secundum se est certa, et immutabilis; non imponit tamen prædestinatis necessitatem. Est cont. Pelagianos et Semipelag. etc.

Prob. 1^a. p. Joan. 10. 27. dicit Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt... et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non capiet eas quisquam de manu mea.* Unde qui non perseverant, non sunt ex numero prædestinatorum, ut 1. Joan. 2. 19. dicitur: *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* S. AUG. L. de Corr. et gr. c. 7. n. 14. ait de prædestinatis: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* S. FULG. L. 1. ad Monim. c. 12., ubi assert illud ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos glorificavit*, notat, ab Apostolo usurpatam vocem *glorificavit*, ut significaret prædestinatos certo esse glorificandos, ita scribens: *Quæcumque Deus præscivit, jam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus.*

Conf. ratione. Nec decretum Dei potest impediri, cum sit omnipotens: nec præscientia falli, cum sit infinite perfecta; ergo quod Deus decrevit ac præscivit, certissimum est. Sed Deus decrevit ut prædestinati sint beati, illudque futurum præscivit; ergo istud est certissimum, et hinc prædestinatio etiam est certissima; quia hanc esse certam quoad se nihil aliud est quam objectum ejus esse certum.

Prob. 2^a. p. Apostolus ad Rom. 11. 29. ait: *Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei; et 2. ad Tim. 2. 19. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus: S. PROSP. in resp. ad*